



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

49. Ex dictis Ferrandi Diaconi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

DE ECCLES. DISCIPULINIS. 231
DCCCC. Qui monachum, CCCCC. soli-
dos componat.

Si aliquis ordinatus homicidium fecerit.

Ex Pœnitentiali.

XLVI. Si quis Episcopus aut aliquis or-
dinatus homicidium fecerit, decem annos pœ-
nitateat, tres ex his in pane & aqua.
Halicar. lib. 6 c. 1.

Si quis consenserit vel consiliatus fuerit ut
homo interficiatur, *Ex eodem.*

XLVII. Si quis ad homicidium facien-
dum consenserit & consilium dederit, & fa-
ctum fuerit, septem annos pœnitateat. Si vero
non fuerit factum, tres annos pœnitateat.
Halicar. ibid.

Si quis consanguineum suum occiderit aut
seniorem. *Ex eodem.*

XLVIII. Si quis proximum & consanguineum suum occiderit, decem annos pœnitateat.
Similiter si quis seniorem & dominum suum
dolo trucidaverit.

Ex dictis Ferrandi Diaconi.

XLIX. Periculosè se decipiunt qui exi-
stiment eos tantum homicidas esse qui mani-
bus hominem occidunt, & non potius eos per
quorum consilium & fraudem & exhortatio-
nem homines extinguntur. Nam Judæi Do-
minus nequaquam propriis manibus interfe-
cerunt, sicut scriptum est, *Nobis non licet in-*
terficere quemquam; sed tamen illis Domini
mors imputatur, quia ipsi eum lingua crucifi-
xerunt dicentes, *Crucifige eum.* Unde unus

Burchard. lib.
6. c. 31. & a-
pud Gratian.
Dist. 1. de pœ-
nit. c. 23.

Ioan. 18.

P iiij

232 REGINONIS LIB. II.

Marc. 15.

Luc. 23.

Ioan. 16.

Psal. 56.

Cap. 4.

Burchard. lib.
G. c. 23.

Exod. 21.

Evangelista dicit Dominum crucifixum hora tertia, alias sexta; quia Iudei crucifixerunt eum hora tertia lingua, milites hora sexta manibus. Qui ergo hominem tradit, ille eum interficit, Domino dicente: *Maius peccatum habet qui me tradidit tibi.* Unde Psalmista: *Fili hominum, dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Subiciant ergo se pœnitentiae quorum consilio sanguis funditur si veniam promereri volunt.

De his qui pro nihilo ducunt homicium in bello perpetratum. Ex epistola Rabani ad Heribaldum Episcopum Autiſodorensim, de prælio ad Fontaniacum gesto.

L. Quod autem quidam homicidium quod nuper in seditione & prælio Principum nostrorum perpetratum est excusat, quasi non necessarium sit pro hoc cuilibet agere pœnitentiam, eo quod iussu Principum peractum sit, & Dei judicio ita finitum. Scimus enim quod Dei judicium semper justum est & nulla reprehensione dignum. Sed tamen oportet eos considerare qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrum illos quasi coram oculis Dei innoxios excusare possint qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix est, & idolorum servituti comparatur, atque propter favorem dominorum suorum temporaliū, æternum dominum contempserunt, & mandata illius spernentes, non casu, sed per industriam, homicidium fecerunt. Unde in Exodo scriptum est: *Si quis de industria & per insidias occiderit proximum, ab altario meo*